



18


13                    72                    15

# PROGRAMMA QUO CUM EXAMEN PUBLICUM CLASSIUM STEPHANEI INFERIORUM FORE SIGNIFICARET

---

QUANTUM GRÆCA V. T. VERSIO ET AD  
ERUENDAM VERAM VOCABULORUM  
VIM ET AD CONSTITUENDAM  
VERAM EBRÆI CODICIS LE-  
CTIONEM PROSIT  
EXEMPLIS IV. OSTENDIT

CHRISTIANUS GODOFRED. STRUENSEE  
RECTOR.



HALBERSTADII, EX OFFICINA DELIANA MDCCCLXVI.

PROGRAMA  
EXAMEN  
PUBLICUM  
CLASSIS STEPHANI  
INTEGRORVM  
TORTS SIENTIFICARERET

---

CHRISTIANUS GODOFREDVS STEPHANVS  
RECTOR  
EXEMPLARIS AVGVSTINIANI  
CIVICVS PROST  
EXEMPLARIS AVGVSTINIANI  
TITULUS EX OFFICINA DILETTANTIA MDCCLXVI





**O**eto propemodum menses sunt, cum his, qui in addiscendis ebraicis literis me duce utuntur, auctor fui, ut cum codice ebræo græcam ejus versionem publice privatimque conjungerent. Initio, cum id velle cœpi, nihil spectavi aliud, nisi ut majorem græcæ linguae facultatem consequerentur discentes, eam præsertim, quæ Novo Testamento explicando aliquando inserviret: quam septuagintaviralis versionis lectione maxime adjuvari, plenioremque effici, tum ipsa res, tum eruditorum judicia admonebant. Quoniam obsequentes habui eos, quibus hoc consilium dederam, factum est, ut his mensibus alter *Regum*, *Estheræ* & *Esdræ* libri, cum toto fere *Jeremiæ* vaticinio sic sint a nobis perlecti, ut simul, quemadmodum Græci reddidissent, fuerit a nobis inquisitum. Et certe non poenitendum hujus consilii, vel ea re, cepi fructum: quod græcæ linguae scientiam apud plerosque non leviter auctam esse cognovi.

A 2

Neque

Neque vero hæc aut sola, aut maxima utilitas fuit, quam fuimus consecuti. Vidimus enim græcam V. T. versionem esse ad ejus explicationem ita firmum & egregium præsidium, ut, qui eo utatur, plurimis commentariis carere possit, & sine eo multa loca vix explicari posse videantur; idque duas maxime ob causas: seu quod in multis locis singulorum verborum, raro præsertim occurrentium, vera vis & potestas ab J. J. græcis expressa sit, & declarata, seu vera codicis lectio retenta & conservata. Non erit, ut arbitrator, a re alienum, in hac qualicunque scriptione, qua examen publicum in stephaneo nostro proximis diebus IX. & X. h. m. Oct. antemer. hor. habitum iri significantum est, ex infinita copia utriusque generis paucula exempla deligere: quæ tirones hortari possunt, ut eximii thesauri, sed, quod dolendum est, tantum non ab omnibus nimis neglecti, copiis & præsidiis ad explicandum V. T. diligentius utendum putent.

Quemadmodum autem vera vocum vis a LXX. J. J. sape fit monstrata, & expressa, duobus modo exemplis monstrabo ex, cap. XLIII. vaticinii Jeremiæ, quod proxime est a nobis explicatum, petitis. Ejus sectionis comma 9. obscuritate aliqua laborare interpretes omnes fatentur, & opinionum diversitas satis declarat: præsertim duo verba בְּמִלְחָמָה. Quæ Lutherus vertit, im Ziegel-Ofen: quo modo unam vocem modo interpretatus est, quod acutus vir unam vocem alterius explicandæ eauffa additam esse facile suspicaretur. Alii duas voces interpretati sunt: in argilla, in officina lateritia. Obscurè! Quid enim attinebat in argilla lapides occultari? & quidem in officina lateritia? & unde officina illa in ipso ostio?

ostio? palatii præsertim regii? in urbe? & quomodo in officina lateritia Nebucadnezar solium suum erat erecturus? Nodum eum egregie solvunt græci JJ, ut omnis difficultas evanescat: qui vocem פָּלַח interpretantur, non, uti claris quibusdam viris visum est, εν προθυσιαις, qui error inde manavit, quod manca editione usi, non recordabantur, his vocibus το Πλάχειαν quod proxime sequitur exprimi; sed εν οὐρανῷ in occulto: unde vulg. habet: *in crypta*. Quæ explicatio, quantum video, toti sermoni aptissima est & radici vocis conveniens. Utrumque paucis ostendam. Jubetur Jeremias, quem Judæi Ægyptum petentes secum traxerant invitum, præsentibus judæis, in urbe Daphnes, in ipso ingressu palatii lapides colloquere, quibus esset Nebucadnezaris tribunal imponendum: eo consilio, ut significaret judæis, instare tempus, quo esset Nebucadnezar, cuius metu in Ægyptum confugent, ut ibi tuti essent, in eam terram impetum facturus: sed admonetur id facere εν οὐρανῷ, quod res ipsa, & locus, ubi res agebatur, & temporis ratio postulabat. Ita, si rem spectes, egregie constant omnia. Superest, ut, quod alterum est, quod demonstrare volui, vocem פָּלַח hoc *significare posse* ostendam: quod non difficile fore arbitror. פָּלַח sine dubio a radice פְּלַח est prognatum, quæ in kal non occurrens, in Niphal denotat, elapsus est, effugit, disparuit. Itaque cum fuga clam & in occulto plerumque fieri soleat, potest certe commode εν οὐρανῷ significare; & cum JJ. græci ita interpretati sint, qui id melius multo scire poterant, quam nos; illorum ætate huic voci eam potestatem tributam fuisse, existimandum est. Quærer fortasse aliquis: quid de altera voce פָּלַח fiet? Respondeo: cum antiquarum versionum nulla eam vo-

A 3

cem

cem expresserit, Lutherus etiam alteram tantum duarum vocum interpretatus sit, *glossema* esse arbitror, quod a judæo aliquo, qui forte <sup>לְ</sup> ita reddi posse arbitrabatur, initio margini adscriptum fuit, & deinde in textum receptum: de qua re certius statui poterit, cum Kennicoti, Angli, Biblia aliquando prodibunt.

Occurrit in eadem sectione Jer. XLIII, comma 12, cuius verum sensum *oi o* vidisse & expressisse videntur: cuius altero hemistichio yates ait: רָתַח אֶת־אָרֶץ מִשְׁרִים בְּשֶׁבֶר תִּשְׁתַח  
וְרָתַח אֶת־בְּגָרוֹ וּרְצָא כְּשֵׁם בְּשָׁלוֹם.

In explicandis his vocibus mire se torquent interpres. Plerique prophetam id putant dicere velle: quemadmodum opilio sibi circumdaret vestem suam, sic sibi Nebucadnezarem esse Ægyptum circumdaturum; sic etiam Lutherus qui græcam versionem raro secutus est, reddidit: *Und er soll ihm Egypten Land anziehen, wie ein Hirte sein Kleid anzeucht, und mit Frieden von dannen ziehen.* Sed hanc interpretationem nec linguae, nec bona similitudinis ratio admittit. Verbum enim <sup>הַשְׁׂעָד</sup> quod utique denotat, *involvit, obvelavit, operuit*, non potest, cum <sup>הַשְׁׂעָד</sup> additur, significare: *induit sibi vestem* sed potius: *obvolvit vestem*: quod omnes, qui ea loca, ubi haec vox occurrit, consulere volent, ut arbitror, fatebuntur. Ergo vertenda essent verba, *Nebucadnezar, cum veniet, ipsam terram operiet, quemadmodum opilio vestem suam; Et salvus abibit*: quod, ut arbitror, sensu communi caret. Sed si concederem, posse verbum <sup>הַשְׁׂעָד</sup> id indicare: totus sermo erit admodum inficetus. Potestne, quæso TE Lector, is, qui depopulatur regnum, & diripit, non dicam eleganter

ter, sed commode dici, id sibi ita aptasse & induisse, quemadmodum opilio vestem? Et ob quam causam dixisset propheta: induet sibi terram quemadmodum *opilio vestem?* nonne eleganter multo & aptius dixisset: induet sibi *Ægyptum* quemadmodum regale pallium sibi circumdat? & quid hoc ad judæos pertinebat? aut quomodo potuit addere, incolumis discedet? si enim *Ægyptum* sibi tanquam vestem *circumdederat*, inde *discedere* non potuit. Videamus jam, an forte ex graeca versione verus sensus erui queat? Ea reddidit φθειρίη γν̄ν Αιγύπτις, ὡς περ φθειρίης ποιην̄ τὸ ιωάτιον αὐτῆς. Non dubito, quin hi, qui quam vim vox φθειρίην habeat, sciunt, miratur sint, quomodo τοις LXX. sic interpretari venerit in mentem; est enim φθειρίη pediculorum vestigandorum causa diligentius aliquid excutere: sed re accuratius expensa, a summo & incomparabili V. T. interprete clarissimo Michaële Goettingensi verissime, quod me alicubi legere memini, præceptum esse judicabunt: tanto studiosius antiquæ versionis interpretationem considerandam, & retinendam esse, quo longius a recepta recedere videatur.

Quæ enim prima specie insolens, atque aliena videatur explicatio, eam, qui paulo accuratius contemplabuntur, accommodatissimam esse reperient, non modo cum toto sermone egregie cohaerentem, sed etiam tam, quam verba ebræa admittant. Cum enim in *Ægyptum* iudei eo consilio fugerent, ut a Babylonio rege tutti essent; monentur a vate, spem eam ratam non fore; venturum enim Nebucadnezarem, quem non essent effugituri; sic enim totam *Ægyptum* iri pervestigatum, quemadmodum ab opilione pediculos venante abolla, & jūdæorum

dæorum præsertim, qui tanquam pediculi in futuris & plicis Ægypti latebras quærerent, casum fore acerbissimum, quos præ ceteris Babylonius esset indagaturus, & capturus, ita quidem ut victor incolumis sit redditurus. Sententiæ, ni me omnia fallunt, egregie constant. Quæritur, an verba Ebræa talem interpretationem admittant? de quo non dubitabit, qui, verborum *formas apud Ebræos permutari solere*, unquam didicit. Propheta verbo utitur ἡρῷον, quod cum verbo ὕβριν involare, impetum facere prædæ causa, ex quo ὕβριν avis rapax manavit, convenit: potuit ergo euphemismus esse, cum adhiberent vocem honestam ad indicandam rem subturpem, quemadmodum nos Germani honesto nomine eines Kammerjägers, ad rem turpiculam designandam abutimur.

Possem ex supra dictis libris vel sexcenta adferre exempla, quibus id effici potest, quod supra posui ex græca versione codicis sacri multarum ebraicarum vocum veram potestatem disci posse: sed scriptionis angustiis impeditor. Reliquum est, ut duobus exemplis, quod affirmavi, confirmem: *hujus versionis ope ebræi codicis veram lectiōnem in multis locis reperiiri posse*: de quo nemo dubitare potest, qui utrumque codicem contendendum comparandumque putabit.

Quemadmodum enim reperiet, Ebræi codicis lectiōnem, ut hodie supereft, admirabili prorsus ratione, cum græca versione conspirare, & in plerisque locis, ubi a se discedunt, ebræi codicis lectiōnem præferendam videri: ita non paucis locis veram & genuinam lectiōnem ex græca versione esse repetendam, intelliget. Qui enim

enim cogitat, quanta diligentia imo religione si exemplar suum sint secuti, ut non modo a græci sermonis elegantia, & venustate recedere maluerint, quam non accurate ad literam ebraica interpretari; sed etiam quod mihi animadvertisse videor, si forte depravata lectio eset, aut vim vocum ipsi ignorant, verba ebraica retinuerint potius, quam ex suo ingenio vim ipsis adfinxerint: ille LXX. virali versioni, cum de codicis vera lectione statuendum est, plurimum tribuendum esse, facile mecum agnosceret. (\*). Et si recte statuimus, singulari cura DEUM, ut, qui libri a se essent inspirati ad erudiendos homines, integri conservarentur, providisse: facile intelligemus, eum non minore cura ejus versionis integratati consulturum fuisse, qua multo plures, non modo ex reliquis populis, sed etiam inter ipsos iudeos; omnesque propemodum Christianos primis temporibus usuros esse prævidebat. Certe ego in multa loca incidi, in quibus explicandis mire se J. J. torquent, quæ nihil difficultatis habent, si græcorum lectio non repudiat. Non jam dicam de *Ezheræ* libro, qui, ut mihi videtur, a criticis Ebræis magis, quam ceteri desertus græcæ versionis (quæ tamen hic liberior est) ita indiget, ut sine ea comemode explicari non possit: *Jeremiæ vaticinium*, quod perspicuitate reliquorum prophetarum scripta antecedit, multa offert loca non parum impedita, & obscura, invenusta certe; sed hortor omnes, qui in talem locum incident, ut versionem græcam adhibendam putent, quæ tantum non ubique tenebras

B

disji-

(\*) LXX. viralem V. T. versionem possis cum Bengeliana N. T. comode comparare: ex qua uti ab eo, qui græce doctus est, quemadmodum legerit B. Vir facile judicari potest: sic ex illa, quemadmodum auctores illius legerint, ab utriusque linguae perito statiui potest.

disjicit & dispellet; quod præsertim intelligent, si for-  
re sectiones a <sup>xxxvii<sup>ma</sup></sup> ad <sup>xlv<sup>am</sup></sup>, quas his diebus  
cum meis interpretatus sum, paulo diligentius cum græ-  
ca versione comparare instituent. Sed hæc persequi  
non est mei otii, aut harum paginularum, quarum mo-  
dum propemodum excedam, si duobus exemplis, quod  
supra dixi, veram codicis lectionem græcæ versionis ope in-  
veniri posse, docebo.

Horum alterum ex comm. 4. 5. sectionis IX. pe-  
tam, ubi ebræi codices sic habent:

**למְרוֹ לְשׁוֹנָם וּבְשַׁקֵּר הַעֲתָה נֶאֱוָן :** שְׁבַתְךָ בְּתוֹךְ מִרְמָה  
**מְאָנוּ רַעַת אָתִי.**

Quæ verba sic reddunt interpretes: docuerunt linguis  
suas mendacium; male agere desatigantur. Habitatio tua  
in medio doli; in dolo renuerunt, me cognoscere. Greeci autem  
interpretari sunt: μεμαθητέν ἡ γλῶσσα αυτων λαλει ψεύδον,  
ἡσικόσαν, και ὃ διελίπον τα ἐπεργάψαι. Τοινε ἐπι τοκω, και δολος  
ἐπι δόλω. ον καθελον εἶδενται. οε. Manifestum est Græ-  
cos aliter legisse, quam nos: nec difficile, quemadmo-  
dum legerint, indagare. Ut enim leves quasdam discre-  
pantias omittam: pro una voce שְׁבַתְךָ duas habuerunt, וְתַחַת  
& שְׁבָתָךְ; quarum una ad quintum, altera ad sextum comma  
pertinuit. Sic ergo legisse videntur לְמְרוֹ לְשׁוֹנָם וּבְשַׁקֵּר הַעֲתָה נֶאֱוָן (ubi forte ab interprete  
etiam est) שְׁבַתְךָ & coitate sexto וְתַחַת מִרְמָה. Quæ-  
ritur jam, utra lectio alteri præferri debeat? Ego sic mihi  
persuadeo, eum, qui utramque interpretationem legat,  
secundum græcos esse pronuntiaturum, quorum inter-  
pretatione nihil gravius, elegantiusque esse potest. Di-  
cudit lingua eorum mentiri; pravi sunt; & resipiscere nolunt.  
In fraude fraus inest, in dolo dolus. Hebraica lectio, ut  
mihi

mihi quidem videtur, stare vix potest. Primum enim, si verum dicere volemus, totus sermo inficetus est; deinde non poterant Judæi dici. **חַשְׁרָה נְלָא.** *desinunt perverse agere:* quid contra, quod tertium est, gravius, & ve-rius, quam **נְלָא שָׁבָע** resipiscere nolunt? Et quomodo poterat aut ad prophetam continuo converti oratio, ut plerique explicant, *habitare tuum est in medio fraudis?* aut ille vere dici, *in medio fraudis habitare?* cum pessimorum nebulonum sit, domicilium sibi in fraude constituere? Neque vero Lutherus noster, qui quod mirandum est (\*\*) græcam versionem (at quanto subsidio fuisset!) raro adhibuit, ebræi codicis lectionem concoquere potuit: sed paulo liberius hæc verba sic interpretatus est: **Es ist ihnen leyd, daß sie es nicht ärger machen können.** **Es ist allenthalben Trügery unter ihnen:** quam tamen interpretationem verba ebræa, uti in nostris bibliis le-guntur, non admittunt (\*\*\*)

Alterum exemplum, quod argumento erit, veram lectionem ebraei codicis a græcis J. J. conservatam nobis esse, ex Cap. XXIII, com. 33. arcessam: ubi codex ebræus in altera versus parte sic habet:

**רָמְרָת אֵלֶיךָ אַתָּה בִּזְבָּחָן וְנִטְשָׁתְּךָ**  
totum versiculum Lutherus ita vertit: Wenn dich dies Volk, oder ein Priester fragen wird, und sagen: welches ist die Last des HErrn? Sollst du zu ihnen sagen, was die

### Last

(\*\*) Fallimur si dicimus, Reuchlini, qui tantum tribuit Judæis, & Masorethis, auctoritatem forte fecisse, ut græcam versionem minus adhibendam putaret?

(\*\*\*) Qui exemplo doceri volunt, esse nobis a græcis J. J. voces servatas, quæ ex Ebræis codicibus ex ciderunt, comma 7. legat, ubi in fine græcos **רֹעֵךְ** legilè auimadvertet, quæ vox in Ebræis codicibus omissa esset, ut Lutherus insolentius eum versiculum interpretatus sit.



Last sev: Ich will euch wégrüfzen, spricht der  
**HERR.** Græci totum comma reddiderunt: καὶ ἐδύ<sup>ε</sup>  
 ἐρωτήσωσι τε ο λαός βτος η ιεσυς, η πεοφίτης, τι τὸ λῆμα  
 κυριος; καὶ ερεις αυτοις υμεις εἴτε το λῆμα, καὶ εαξω υμας.  
 dico, *Vos estis onus & dejiciam vos.* Non dubito quin,  
 qui duas interpretationes conferent, posteriorem præ-  
 laturi sint: non solum toti sententiæ aptiorem, sed  
 etiam necessariam, quod ebraicam lectionem gram-  
 matices præcepta non admittunt. Notum est τὸν ac-  
 cusativi indicium esse, qui certe hic locum non habet,  
 cum totus sermo nominativum poscat. Et quid pote-  
 rat ad insolentem & plenam calumniæ interrogationem:  
 מִלְאָכֵל אֶת־מִזְרָחָךְ melius regeri quam אֶת־מִזְרָחָךְ, sic enim  
 græci legerunt, quas duas voces librarii ebræi in tres inepte  
 discerperunt אֶת־מִזְרָחָךְ: cui illud consentancum est,  
 quod addit, *abjiciam vos*, tanquam molestum onus; quæ  
 verba, nisi sic conjunguntur, certe venustatem nullam  
 habebunt (\*\*\*\*).

Hæc hæctenus. Rogamus ego & collegæ mei non  
 modo Scholæ nostræ Reverendissimos Patronos demille &  
 enixe: sed omnes quibus literarum studia cordi sunt, eos  
 maxime, qui fidei nostræ concreditos cognitione con-  
 tingunt, studiose, ut pro sua erga nos clementia, & hu-  
 manitate, cum proximis diebus Jovis & Veneris antemeridi-  
 anis horis ab octava, quantum secundus, ceterive inferio-  
 res ordines profecerint, publico examine quærendum sit,  
 sua præsentia docentium discentiumve studia & industri-  
 am magis atque magis concitare velint, & inflammare.  
 Scrib. Halberst. a. d. III. non. Octobr. MDCCLXVI.

(\*\*\*\*) Vere a me dictum esse grecos J. J. ebraicum textum preesse fecu-  
 tos esse, interpretatio vocis נִשְׁׁבָּה comprobabit.



5. Dez. 1995

78 L 1245



ULB Halle  
005 611 288

3







13 12 15

# PROGRAMMA QUO CUM EXAMEN PUBLICUM CLASSIUM STEPHANEI INFERIORUM FORE SIGNIFICARET

---

QUANTUM GRÆCA V. T. VERSIO ET AD  
ERUENDAM VERAM VOCABULORUM  
VIM ET AD CONSTITUENDAM  
VERAM EBRÆI CODICIS LE-  
CTIONEM PROSIT  
EXEMPLIS IV. OSTENDIT  
CHRISTIANUS GODOFRED. STRUENSEE  
RECTOR.

HALBERSTADII, EX OFFICINA DELIANA MDCCCLXVI.